

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Infinitam esse misericordia[m] Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

Cap. LX. Morientium spes pénitentia, & auxiliū in tentationibus.
gerit, aut cur illum Deus uxore tam charā priuārit? Is sciat, neq;
hoc sine diuinæ prouidentiæ bonitate accidisse. Nam præter-
quam, quod fugam illius a quo animo tulerit, pro eius fide soli-
citus fuerit, & ab Angelo doctus sincerum erga eam amorem
perpetuò conseruārit; statim post obitum Theodoræ, Angelus
monasterij Præsidem monuit, ut mitteret ad ciuitatem quem-
dam ex monachis equitem, qui primum in via occurrentem
equo suscepit, quam citissimè adduceret. Erat autem is Theo-
doræ maritus, qui & ipse ab Angelo monitus iam sponte venie-
bat ad monasterium. Cui obuiam factus monachus dixit: *Quid
ita properas bone vir?* respondit ille: *Scio uxorem meam, quam tam
diu non vidi, è vita excessisse. Curro igitur, eam extremum defle-
turus.* Sustulit ergo illum in equum monachus, & in monaste-
rium perduxit. Vbi inter lachrymas & luctum, hymni & laudes,
& mutuæ gratulationes audiebantur. Sepultâ Theodorâ con-
iuge, maritus, illius exemplum fecutus, mundo nuntium remisit,
capitulque amore silentij & quietis, non solum rerum & virtu-
tum, sed etiam cellæ & habitationis Theodoræ successor fuit.
Cumq; aliquandiu sanctissimè ibi vixisset, etiam sanctissimè
defunctus, in eodem cum Theodora sepulchro conditus est; vt,
quemadmodum in cælo, animæ, ita etiam in terris eorum cor-
pora coniungerentur. Sic saepe vocatio unius pendet ab alterius
conuersione: neque sine cauſa Deus etiam bonis viris bonas
aufert uxores; ita enim & ipsos viros probat, trahitque ad ma-
iorem vitæ perfectionem. Magno igitur luctu, sed maiore hic
luctu uxorem perdidit, ab ea seruatus, quam perdidit: tentatus,
probatus, saluatus.

C A P V T L X .

*Infinita DEI erga peccatores misericordia & patientia, quæ
sem facit non solum pénitentibus, sed etiam, contra
omnes tentationes in morte occurrentes, open
& remedia largitur.*



Evs summum bonum non esset, si in eo non esset om-
nis & summa virtus. Inter virtutes autem maximè
beneficia est misericordia, quæ voluntatem incitat, vt
ad alte-

ad alterius misericordiam subleuandam, succurrat, siue id ex affectu benevolentiae & charitatis, siue alio bono fine faciat. Hæc, in homine, ente limitato, finita & limitata est; in Deo autem, ente vndeque illimitato atque infinito, itidem, ut cetera omnia, illimitata & infinita: adeò, ut nullis verbis satis explicari, nullis cogitationibus sufficienter possit comprehendendi; cumq; omnem miserendi laudabilem affectum in se contineat, varijs & modis, & sententijs, à Spiritu S. in diuinis litteris, explicatur. *Domina Exod. 34. 6.*
Tu, Domine Deus, misericors, & clemens, patiens & multa miserationis, & verax, qui custodias misericordiam in milia, qui auferas ini- Psal. 85. 25.
rator, & misericors, patiens, & multa misericordia. Et rursum:
*Misericordia Domini plena est terra. Ac alibi: *Sicut Dominus Psal. 31. 5.**
uniuersis, & miserationes eius, super omnia opera eius. Cum hac mi- Psal. 144. 9.
sericordia coniuncta est patientia, qua fert iniurias sibi ab homi- ne illatas, ut non statim vlciscatur illas, sed patienter ferat expe- dientque emendationem. Coniuncta est mansuetudo, quæ facit, ut non facilè ad iram exasperetur, aut in furorem excandescat, sed pristinam animi æquitatem retinens, benignitatem erga nos suam non abijciat. Coniuncta est & clementia in ignoscendo, qua hominibus poenas commeritas, ex animi benignitate, vel minuit, vel omnino condonat. Hæc patientia, mansuetudo & clementia itidem infinita est in Deo. Quare sicut exiguum fontem, flumina, maria, immò ipsæ Diluuij aquæ superauerunt, ita excedit diuina misericordia omnem humanam infinitis intervallis. Cogita quamcumque voles, & quantamcumque voles misericordiæ magnitudinem, tamen vix incepisti. Capi non potest, quod est immensum, termino caret quod est infinitum.

Et quia patientiam, quam Deus à condito orbe exercuit, in hominum injurijs perferendis, ob quas meritò Mundum totum, & omnes visibiles creaturas perdere, & in nihilum redigere potuisset, nemo satis potest penetrare; Filium suum unigenitum in terras misit, in quo, velut in speculo, & patientiam, & mansuetudinem, & clementiam, & misericordiam suam hominibus ante oculos poneret. Quantum enim is non tulit ab ijs, pro quibus tulit? Non erat ei locus in diversorio antè, quam in lucem *Luc. 2. 7.*

Nnnn prodiret.

II.